

nihil sibi à me timere. Ego verò ab illis nihilo securior: vt qui scirem implacabili in me odio ardentes, auidè meo sanguini inhiare, in locum tutiorem me recipere coactus sum, vnde præstarem quod fueram pollicitus. Quis enim coram tam immanibus belluis cōsistere audeat, si modo Christi nomen profiteri velit? En postremus fabulæ actus, Christiane lector. Pauca ex innumeris attigi. Nam dictu nimis est difficile, quàm sæpe & mirabiliter me Dominus ex eorum laqueis eripuerit. Et ipsa narratio, si verbis eam possem exequi, propè incredibilis foret. Ergo, ne Deo sim ingratus: quid superest nisi vt calicem salutis accipiam, eiusque nomē inuocem? De Regis quidem præsidio cur diffiderem, causa non fuit. sed quia mihi certamen erat cum tam virulentis belluis, nihil cēsui esse melius, quàm obstinatæ malitiæ cedere. Impune enim illudere Regi poterant, eiusque imperia contemnere: impune falsis & putidis delationibus imbuere principū aures: impune quiduis per fas & nefas in me machinari. nec modus vllus fuisset. Nam quo magis ratione fracti sunt, tanquàm hydra aliqua, resumtis septē